

Nec quarta valet, quoniam omnia in diuina sunt idem in specie, & eodem modo sunt inter se idem, quia specificiter. Idcirco principium illud stat. Hinc dico, quod istud principium non est negandum, cum per ipsum teneat forma syllogistica perfecta, quae est per se nota. Et si fallit in aliqua materia, tunc est inutilis conuersionis, & syllogismus imperfectus. Et dico ad argumentum, quod fit contra personas diuinas assumpto isto principio, quod cum personae diuinae sint idem cum diuina essentia, necessario sunt idem inter se, aliter tamen, & aliter. Nam sunt eadem cum diuina essentia identice, & essentialiter, non tamen identice inter se, sicut dicit Hilarius libro de trinitate: Pater est id, quod filius. Contra, quae cumque vni, & eidem sunt eadem, eo modo, quo sunt eadem illi, sunt eadem inter se. Sed diuinae personae sunt identice idem cum diuina essentia, ergo sunt identice idem inter se. Dico, quod istud principium simpliciter sumptum, atque in terminis simplicibus, est necessarium, & verisimile tenetur tamen sumptum cum determinatione, non tenetur. Nam genus, & differentia sunt in primo modo dicendi idem speciei, tamen non sunt idem inter se in primo modo dicendi per se. Haec Franciscus, quod circa istud multas mouet difficultates. Ad vltimam respondendum, quod diuinae personae non distinguuntur substantialiter, sed relatiue, non accidentaliter, cum accidens in Deo non habeat locum. Relatio etiam in diuinis a substantia non diuificatur. In creaturis autem inter substantiam, & accidens non est medium. In Deo quoque relatio aliquo modo per modum accidentis se habet, in quantum non est de ratione Dei absoluta, ut infra clarius elucefcat. Argumentum autem quod factum est de multiplicatione naturae in supposito, ex verbis Aegidij praeductus solum est. Quae tamen solutio transit in eos, qui inter esse, & essentiam ponunt realem distinctionem. Sic, & Thomas respondet: In creaturis, inquit, differunt essentia, & esse. Nec essentia habet esse nisi in habente essentiam. Ideo dum creata communicatur essentia, communicatur tamen in rationem suam, non secundum esse: quia in illud esse, non est nisi in vno tantum habente. Diuina vero essentia est suum esse. Idcirco quando communicatur essentia illa, communicatur, & esse ipsius. Vnde essentia non tantum est una secundum rationem, sed item secundum esse. Propter hoc potest esse vna numero in pluribus personis. Haec Thomas. Porro qui inter esse, & essentiam ita non distinguit, habet responsum ad argumentum ex verbis Alexandri praehabitis. Sed contra hanc fidei ueritatem adhuc obijci potest ex dictis Henrici, & Scoti, hoc modo: Impossibile est plura necesse esse, ergo impossibile est esse plura supposita, quorum quodlibet sit necesse esse. Item, quod non habet esse a se, non habet omnino necessarium esse. Rursus producens est aliquo modo prius producto, & in illo priori potest productum intelligi non esse, siquidem filius potest intelligi non fuisse protunc, & ita non esse procedit esse in ipso. Nec uideatur idem esse realiter cum illo, quod tunc necessario fuit, hoc est, cum diuina essentia. Sed ad ista habetur ex praedictis solutio. Nam tres personae sunt vnum esse absolutum, non tria esse, idcirco non sunt plura necesse esse. Et quoniam filius recipit idem esse, & eandem essentiam, quae habet pater, competit filio esse formaliter necessario esse, non tamen ex se quasi ex productiuo principio. Nec in generatione filij accipi potest non esse ante esse, cum idem sit esse patris, & filij, estque in Deo solum processio actus ab actu, lucis a luce, perfecti a perfecto, omni imperfecti-

one seclusa. Et quoniam personae in diuinis non absolute, sed relatiue sumuntur, non potest una intelligi sine alia: nec potest una intelligi non esse in illa prioritate, cum simul sint: & est illa prioritas diuinae originis, ab omni potentialitate, & dependentia penitus aliena. Postremo, persona producens, & persona producta, non sunt vna, eademque persona, quamuis utraque sit ipsa diuina essentia, quae non est directus terminus productionis. Sufficit quoque distinctio rationis, ad verificandum, quod quaedam opposita conueniunt his, quae realiter idem sunt, ut essentia est communicabilis, non persona, quamuis sint idem re: & item quod persona producit non essentia, quae est persona: quia essentia ob suam fontalem, immensam, exuberantissimam perfectionem, continet in se, & id quod identitatis, & communio- nis est ratio, & etiam id, quod est ratio distinctio- nis. Etenim cum filius sit perfecta imago, & vtrumque plenisimum Dei patris, necesse est totum quod patris est, seu patris plenam essentiam, contineri, praesentari, & vere esse in filio. Et horum aliquae exempla sunt, quae in istis inferioribus natura secundum se considerate, ingenerabilis, & incorruptibilis perhibetur: suppositum vero generabile, & corruptibile, non tamen realiter distinguuntur.

QVAESTIO VI.

Sexto quaeritur, An in diuinis sint tantum tres personae. Videtur quod non, quoniam in rerum natura tria sunt principia producendi vnum ex alio, puta natura, ratio, & voluntas: sed in diuinis ponitur productio per modum naturae, ut generatio filij a patre: & productio per modum voluntatis, videlicet processio spiritus sancti: ergo necesse est ponere tertiam productionem, quae est per modum rationis, seu intellectus. Secundo, quia productio per modum rationis, aut intellectus, est dignior productione, quae est per modum naturae, cum ratio eiusque actio dignior sit ut generatiua, seu natura, & operatione ipsius: ergo est Deo potissime ascribenda. Quod enim est dignius, est Deo maxime attribuendum. Tertio, quia perfectus ordo uideatur exigere, quod sit in Deo est vna persona dans, & non accipiens, vna quoque dans, atque accipiens, scilicet filius: & tertia accipiens, & non dans ad intra: ita sit quarta persona, non dans neque accipiens. Quarto, quoniam sicut pater diligit filium, ita & spiritus sanctus: sed diligit filium amore, qui est spiritus sanctus, & persona distincta, ac specialis, ergo diligit spiritus sanctus amore, qui est specialis persona. Quinto, quoniam sicut in patre est infinita potestas, infinita bonitas, infinita exuberantia, infinita communicabilitas, & caritas, ita in spiritus sancto: ergo eadem ratio producendi personam ad intra, est in spiritu sancto, quae in patre. Et sicut Augustinus arguit de patre, quod generet, & producat, sic argui possit de spiritu sancto. & sic viderentur infinitae esse personae diuinae. Sexto, quoniam generare, & spirare est perfectionis in patre, & filio, ergo competit spiritus sancto qui ambobus aequalis est.

Ad hanc quaestionem Alexander respondet: In diuinis tantum esse debet tres personae, nec possunt plures esse, quoniam sequeretur, quod in summa trinitate non esset summa germanitas, nec summa connexio, sed in ordinatio, atque confusio. Communio namque boni non potest esse nisi duobus modis: hoc est, per modum naturae, & haec est generatio: vel per modum voluntatis, & haec est processio amoris ab amate. Est itaque in diuinis

Hilarius

Thomas

Obiectio. Henrici & Scoti.

Solutio.

Esse conuenit filio Dei necessario

Obiectio. contra veritatem

Iohan. 5.

Aegid.

Respondet Hales.

Res trinitatis secundum Alexandrum.